

Za  
295





EPITHALAMI  
ON IN NVPTIAS MAGISTRI  
IACOBI RVNGII POMERANI,  
ni, Professoris in Academia  
Gryphisuualdensi.

Autore Georgio Cracouio Pomerano.

Πνεῦμα ἕωρ δεξιῶν αἰδέσθω καθαρόν τε καὶ ἄγνον,  
τῶν ἀγνῶν δέχεται ἱερά μόννα φρενῶν,  
ἀγνείαν καὶ ἔταξε νόμοις σεμνῶσι γάμοιο,  
τιμῆσιν δέοι οὐρ ἐν γάμῳ εὐσεβέως.

Philip: Mel.

VVITEBERGÆ.

1549.



Georgius Cracouius Pomeranus,  
Sponso.

ἔν ᾠδῇ.

συγγάμι' ἀνθρώπων, βίῳ ἀσφαλές ἔστι πάροντι,  
καὶ κόσμησε θεὸς δέσμα γάμου κρατερῶς.  
ἦδὲ κλινὴν χρῆσος γαμικὴν μάλα αὐτὸς ἀέξει,  
τοῖσδε νεοῖς γάμβροις ἅιε πάρεσι πρόφρωνι.  
τόνδε βίον, πρῶτον δ' ἐτάξεν ὃν ἐν παραδείσῳ  
καὶ μετόπισθ' οἶνον, τὸν σέφε, δῶρον δίδου.  
ὣς οὐκ ἐν ταύτῃ ὁμιλίᾳ ἀίχθη ἔνεσι,  
αἰσχρὰ γὰρ αἰδῖος μήποτ' ἔταξε δέου.  
αἰ ἀλόχοι χρῆσαι δῶρον δεῦ' εἰσι ἄριστον,  
ἦδὲ παρηγορίαν αἰδὲ φέρουσι βίῳ.  
αἰτινες ἄρ' τόλμωσιν ὁμόφροναν θυμὸν ἔχουσαι,  
ἴσῳ τῶν ἀγαθῶν τῶνδε κακῶν μετέχευ.  
Νύμφιε ὡς ἀλόχου χρῆσον δόξαζε δοτήρα,  
εὐφρονέως πᾶρ' ἐμῶν ἐπὶ τάδε πάντα λάβε.  
εὐχομ' ὅπως ξῶης νύμφη σὺν ποσσίνῃ ἀγνώστῃ,  
καὶ καταρῆν καθαρήν ἐν καρδίᾳ ἀγαπᾶ.

## EPITHALAMION.

Sollicitas mœsto uoluebam pectore curas,  
Deplorans gemitu publica damna graui.  
Dilacerata forent patriæ quod uiscera bello,  
Nec læti quidquam tempora nostra ferant.  
Ecce mihi hanc animi nubem Dea sacra remouit,  
Quæ solet Aonijs semper adesse choris.  
Inueniensq; graui curarum pondere fessum  
Siste mihi subito, flebile dixit, opus  
Excute tristitiam cordis, uariosq; dolores,  
Dulcia pro querulis carmina scribe modis.  
Adfero namque tui properans monumenta Iacobi,  
Qui modo quid faciat, forte requiris amat.  
Cetera, quam cernis, melius tibi littera dicet,  
Quæ uenit à sponso iam perarata nouo.  
Ille cupit, præsens lætis ut honoribus adsis,  
Atque animo carmen liberiore canas.  
Et noua mellitis connubia versibus ornes,  
Hoc veneri gratum est, hoc & Apollo probat.  
Sic effata, leues se Diua recepit in auras,  
Meq; suo aspirat numine, meq; mouet.  
Gratulor ergo tibi sponso, nuptæq; puellæ  
Digna puella tuo Sponsaq; digna toro.  
Et precor ut seruet socialia foedera lecti,  
Filius æterno de genitore fatus.  
Nunc utinam pennas mihi traderet impiger Arcas  
Seu quibus aërium Dædalus egit iter.

A iij utrapij

Ut rapido peterem natalia rura volatu,  
 Tempore coniugij, docte Iacobe, tui  
 Hoc quoniam prohibet rerum fortuna mearum,  
 Et noua me coniunx longius ire uetat.  
 Ite Deæ sponſi properè foelicis ad ædeis,  
 Ille Deas magni muneris inſtar habet.  
 Non vos contemnet quamuis mihi dexter Apollo,  
 Pocula caſtaliæ rara miniſtret aquæ.  
 Huic vos optantes cœdæ omnia fauſta iugalis,  
 Promite ſermonis talia iuſſa mei.  
 Eius ut ornetis vos miſſas dicite Pompani,  
 Quam Gryphſuualdenſis longa caterua facit,  
 Quæ, niſi fallor, erit clarorum ornata uirorum  
 Præſenti inceſſu, magnificoq; gradu.  
 Illic Baldaſarem, Syluani nomen habentem  
 Cernetis, clarum nobilitate uirum.  
 Hic non ingenuas Muſarum deſpicit artes,  
 Sed ſacra Pegæſei numina fontis amat.  
 Cuius & eloquio celebratur principis aula,  
 Cuius & eſt patriæ magna probata fides.  
 Nec ſua turgenti miratur ſtemmata faſtu.  
 Virtutis ſtudium, iuſtitiæq; colit.  
 Non auro & gemmis, opibus nec uera paratur,  
 Nobilitas, aliquid maius ineſſe decet,  
 Nam uirtutis opes tantum ornamenta putantur,  
 Nobilis eſt quiſquis, nobilitanda facit.  
 Huic adiunctus erit Ciceuitzius, aulicus Heros,  
 Qui mihi non notus, ſed tamen æquus erat.

Doctor Baldaſar à Wald.

Iacobus Ciceuitzius, Cancellarius principis.

Gallia

Gallia quem uidit, quem uidit & Ausonis ora  
Qui patriæ decus est, gloria & ampla suæ.  
Quem non ulla latent legum monumenta bonarum,  
Nec series ueteris quem fugit historiæ.  
Inde etiam Alcidamas spectandus in ordine prodit,  
Qui patriam meritis, officijsq; iuuat.  
Cæsaris est nuper legatus missus ad aulam,  
Tuta redit patriæ, quo redeunte quies.  
In quo sunt charitum dulcissima dona sororum,  
Aonijs excellens fama decusq; chori.  
Non tamen is solus placauit Cæsaris iram,  
Falco sed insignem contulit alter opem.  
Huic ego si dignas cupiam persoluere laudes,  
Ilias est scripti magna futura mei.  
Artibus ingenuis adeo est excultus & auctus,  
Vt natum ex Musis, atq; Helicone putem.  
Siue etenim Latia dicat, seu voce Pelasga,  
Dissimilis sibi non esse in utraq; solet.  
Quidquid & ingenui sentit mens plena rigoris,  
Exprimit ornatis lingua diserta modis.  
Multos deinde uiros præstantes Musa uidebis,  
Quos mihi Thesæo fœdere iunxit amor.  
Turba professorum sponsum comitabitur usq;  
Ad lapidem, facili quem pede Sponsus adit.  
Saxa sed heus quæris, num sacra iugalia firment?  
Accipe, Gryphsuualdi, mos manet iste uetus.  
Est lapis in media, nisi fallor, tetricus urbe,  
Hic recipit sponso, non sine lege, nouos.

Philippi Ducis  
Pomeranorum  
etc.

Iohannes ab  
Vsdhom.

Doctor Falco  
Cancellarius  
Principis Bar-  
nimi Ducis Po-  
meranorū etc.

A iij In quo

In quo se populo spectandum sistere Sponsus,  
Cogitur, hæc famæ publica signa bonæ.  
Sic iam præ reliquis, tædis fœlicibus auctus,  
Eminet, in celebri Rungius ille choro.  
Festus honorato lætatur in agmine Sponsus,  
Magna Medusææ gloria Sponsus aquæ.  
Nam tibi Pægasides sua munera candide Rungi,  
Et facili donant cultius ore loqui.  
E quibus una docet spaciosi sydera cœli,  
Et uarias stabili condicione uices.  
Quid referam cantus mulcendis auribus aptos?  
Qui tibi precipuum iam peperere decus.  
Taliter amissa bis coniuge Thracius Orpheus  
Concinuit, pressa cum stetit Hebrus aqua.  
His numeris olim Diræus mœnia Vates  
Condedit, & celsum surgere iussit opus.  
Quid tamen ista iuuant? curas nisi temperet omnis,  
Qui tua legitimus pectora mordet amor.  
Dulcis amor, sine quo lætū nec amabile quidquam,  
Qui genus humanum continet igne suo.  
Legibus ergo tibi Catharina iugalibus uxor,  
Est data, coniugio digna puella tuo.  
Nunc q̄d ames semper, q̄d tempora tristia fallat,  
Quod tibi sit curæ dulce leuamen, habes  
Quis teneræ dotes Catharinæ uersibus æquet?  
Castalias quamuis perfluat ora liquor.  
O merito purum Catharinæ nomen adepta,  
Scilicet innocuo pectore labe cares,

Est



Est etiam casto facies ornata pudore,  
Sparfus & est niueo lenis in ore rubor.  
Ducite concordēs placidum sine litibus æuum,  
Detq; Deus sacri pignora multa tori.  
Dum licet & teneram simul exercete iuuentam,  
Effugiunt anni more fluentis aquæ.  
Canities subito inuadit iuuenilia membra  
Et color in nitido qui fuit ore perit.  
Mutuus in vobis sit amor, similisq; voluntas,  
Alterum, & alterius torreat arctus amor.  
Te Catharina suum reueretur æqua maritum,  
Estq; tibi dulcis nupta futura tori,  
Tu rursus Sponsam redames lepidissime Sponse,  
Huius eris uiuus, mortuus huius eris.

FINIS.

Excussum Vuitebergæ, per  
Vitum Creutzer.



7  
La 295 OK

FINIS

Excultum Vindoburgae per  
Vincum Cresser

111



Pou za 295, Qu

ULB Halle 3  
002 412 829







ALAMI  
S MAGISTRI  
I POMERA

Academia  
Idensi.  
ouio Pomerano.

τε καὶ ἀγνοῦν,  
οὐκ ἔστι φρενῶν,  
σι γάμοιο,  
οὐκ ἔστι εὐσεβείας.

RGÆ.

